

constitutæ cum votis simplicibus, non aliter quam obtento speciali indulto, suas provincias unire vel dividere consueverint<sup>1</sup>.

453. — Ex dictis sequitur : 1° Regulares qui conventum vel oratorium publicum erigunt, non servatis formis jure præfixis, absque beneplacito apostolico et expressa licentia Episcopi, graviter peccare contra sanctiones pontificias. Præter peccati reatum, pœnas canonicas incurrunt, scilicet : privationem vocis activæ et passivæ, inhabilitatem ad officia, et insuper excommunicationem majorem ; 2° quidquid neglectis conditionibus præsumperunt, irritum esse et inane, nullumque consequenter jus exinde ipsis tribui. Episcopi possunt eos coercere censuris ecclesiasticis ut ab incœptis desistant, et domibus, seu oratoriis publicis, præter jus ædificatis, minime utantur.

Utrum hæc applicanda sint ordinibus regularibus, qui postquam injuste expulsi de loco fuerint, aut vi suppressi, iterum ad civitates de quibus discesserant redeunt, et conventus atque Ecclesiam reædificare volunt, quæstio ambigua videtur, et resolvenda ex variis circumstantiis. Generatim conventus injuste suppressus conatu hæreticorum, hostili furore, aliove simili casu, et paulo post, sedata tempestate, restitutus, recuperat locum et primæva jura ; « quoniam, ait Matthæucci, tanquam in-  
« juste suppressus, nunquam fuit sua possessione privatus, licet  
« per aliquod temporis caruerit exercitio. Et propterea redinte-  
« gratio verissime dicitur continuatio ejusdem status primævi. »  
(*Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. ult., n° 9.) Non indiget proinde iterum recursum ad Sanctam Sedem, et ad Ordinarium loci, ad obtinendum licentiam conventum erigendi.

Si tantum temporis elapsum sit, ut juxta moralem hominum existimationem, conventus censeatur penitus cessasse, ac novam inchoari foundationem, superiores regulares ordinis qui olim conventum, domum, Ecclesiam, tenebat in civitate, non possunt similia loca ibidem erigere sub obtentu præteritæ concessionis,

<sup>1</sup> Cf. *Analecta juris pontificii*, an. 1860, col. 2595-2595.

sed novam licentiam obtineant necesse est. Ordines regulares, v. g., qui in Galliis monasteria et conventus habebant ante perturbationem Gallicanæ reipublicæ, et ex ea ætate suppressi sunt calamitate temporum, jus prætendere hodie non possunt ad suorum præteritorum conventuum reædificationem, nisi intercesserit beneplacitum S. Pontificis, cum licentia Episcopi, ex præscripto juris communis.

Lex quidem civilis nequaquam potuit jure suppressere conventus, de quo certe dubium non est apud catholicos; nec eosdem suppressit concordatum, quum de illis mentio facta non sit; verumtamen, præter quod jura præterita horum Ordinum cessasse penitus communiter existimantur tam diuturna interruptione, adeo dissimilis est status præsens Ecclesiarum Galliæ a statu sæculorum præteritorum, ut quicumque vir prudens, qui non thesibus mere speculativis inhæret, sed rationem practicam rerum habet, fateatur recurrendum fore ad Sanctam Sedem, et ad Episcopos locorum, ut S. Pontificis auctoritate, atque prudentia Antistitem qui Ecclesiis præsent, determinetur quatenus expediat novas domos religiosas loco veterum instaurare.

Idem dicendum si regulares velint reassumere conventum quem sponte reliquerant. Ita declaratum refert Monacelli; qui insuper notat, in reassumptione conventus derelicti et ex gratia restituti, non reviviscere jura præcedentia quibus regulares hujus conventus antea potiebantur, nisi restitutio concedatur plenarie quoad omnia (*Formularium legale*, part. I, tit. VI, formula XIX, n° 15, 14).

ARTICULUS IV. — DE ADMISSIONE FIDELIUM IN STATU RELIGIOSO.

Tres sunt præsertim quæstiones solvendæ relative ad admissionem fidelium in statu religioso : 1<sup>a</sup> Quinam admitti de-

beant; 2<sup>a</sup> quibus præviis exercitiis spiritualibus ad statum religiosum proxime disponantur; 3<sup>a</sup> quonam actu reapse admittantur et ordini religioso cooptentur.

§ 1. *De admittendis in statu religioso.*

Admittendi sunt ad statum religiosum qui prudenter reputantur divinitus vocati ad hoc genus vitæ eligendum, et qui aliunde liberi sunt ab omni impedimento.

454. — 1<sup>o</sup> *Utrum et quatenus necessaria sit vocatio divina ad statum religiosum?*

Quæ alibi disseruimus de vocatione ad statum clericalem (n<sup>o</sup> 316-319), dici etiam debent, habita tamen ratione diversitatis utriusque status, de vocatione ad vitam religiosam.

I. Non pauci scriptores ita de prævia deliberatione ad eligendum statum religiosum loquuntur, ut videantur idoneos dicere ad hunc statum omnes indiscriminatim qui impedimentis non tenentur. Sicut, inquit, saluberrima res est renuntiatio sæculi et religionis ingressus, ita et cuilibet, nisi impedimentum interveniat, maxime expediens, quia consilium Christi ad omnes et singulos pertinet, quibus liberum est illud amplecti. Nullus excipitur; omnibus dictum est: *Qui potest capere capiat*, hoc est: *Neminem cogo, omnes invito ad statum perfectiorem*<sup>1</sup>. Doctrina tamen communissima est, a qua forte non dissentiunt iidem ipsi theologi, si bene inspicatur illorum mens, prærequiri specialem vocationem Spiritus sancti.

Vocatio divina innotescit communiter affectu, et quodam impulsu interno, quo aliquis se sentit incitatum ad religionem. Ut autem possimus discernere utrum affectus ille sit a Deo, considerandus est finis ad quem refertur, cuius scilicet amore et desiderio ad talem statum impellimur. « Cum enim, ait Lessius, « status religiosus non sit ultimus finis, sed medium quoddam,

<sup>1</sup> Lessius, *de Statu vitæ deligendo*, quæst. iv, n<sup>o</sup> 27.

« nunquam propter se appetitur, sed semper propter aliud. Desertio sæculi, paupertas, subjectio, voluptatum abnegatio, « quibus religio constat, non sunt res blandæ quæ vi sua nostræ « voluntatis affectum alliciant, et in sui amorem pertrahant; « sed opus est aliquid aliud bonum interveniat, cuius amore « ad illa inamœna moveamur. » (Loco cit., n<sup>o</sup> 56.)

Si tota igitur ratio quæ impellit animum ad religionem est bonum spirituale, nempe ut periculis sæculi eximamur, et Christi vitam imitemur, sicque, Deo perfectius serviendo, nostræ salutis consulamus et alios ad meliora provocemus, non est dubitandum quin affectus ille sit a Deo. Non potest provenire a dæmone, nec a naturæ propensione; ergo illum indidit sanctus Spiritus. Attamen expedit, imo necessarium est regulariter, ut qui hunc affectum habet, virum pium æque ac prudentem, in rebus divinis exercitatum, consulat, ne forte in errorem incidat, sumendo momentaneum spiritus fervorem pro vocatione, et deinceps, mobilitate animi, ipsum pœniteat. Hoc eo magis attente considerandum, quod, ut sapienter animadvertit Suarez: « Sæpe Spiritus sanctus præbet desiderium alicujus rei, cuius « executionem non vult, sicut præbuit Davidi voluntatem ædificandi templum; immittit enim interdum Spiritus sanctus « tale desiderium propter bonum et meritum ipsius; quamvis « ad executionem perventurum non sit, aut pervenire non expedit. » (*De religione*, lib. V, cap. viii, n<sup>o</sup> 4.)

Dixi *communiter*; quia adest aliquando vocatio, etiamsi non ita sentiamus efficaciter impulsus sancti Spiritus. Scilicet, identidem accidit ut homo, quamvis impulsus internum non experiatur, habeat nihilominus aliquas cogitationes et motiones internas, vel ob mundi pericula sibi apprime nota, vel ob excellentiam status religiosi, vel ob incertitudinem in qua versatur in eligendo statum vitæ, et exinde consilium a direttore postulet, dispositus ad faciendum quod sibi melius indicatum fuerit. Qui post maturam deliberationem, et approbante moderatore suæ conscientiae, statum religiosum amplectitur, pru-

denter agit ac se vocatum existimare potest, licet efficaciorum impulsu a S. Spiritu non experiatur.

Suarez animadvertit directori caute agendum, ne aliquem inducat ad religionem, si gravia indicia non perspexerit. Timendum est enim periculum inconstantiae in eo qui sic attrahitur vividis cohortationibus et blanditiis. Petenti consilium veritas aperienda est. « Ille quem Spiritus sanctus movere coepit judicandus est, vel ut in sancto proposito firmus maneat, vel ut Spiritui sancto non resistat, sed potius per orationes et bona opera se disponat, ut ab illo efficacius moveatur. Prius autem quam Spiritus sanctus incipiat aliquem vocare, raro expedit, ut opinor, illum directe inducere ad hunc statum assumendum. » (Loc. cit., n° 10.)

H. Vocatio ad statum religiosum non ita urget per se, ut gravis peccati aliquis redarguendus sit eo ipso quod abnuat obsecundare decisioni sui directoris; non enim teneatur sequi consilia evangelica. Quoties tamen moraliter certi sumus de vocatione, nos in gravi periculo salutis conjicimus, si Spiritui sancto attrahenti resistamus. Etenim 1° Sanctis doctoribus semper persuasum fuit plures salvari in religione, qui damnati fuissent inter saeculi tempestates ac sensuum illecebras; unde S. Gregorius Magnus conquestus est apud Mauritium imperatorem de lege qua militibus interdicebatur ingressu monasterii, quasi hac lege pluribus caelum fuisset clausum: « *Sunt, ait sanctus doctor, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt.* » 2° Qui manet in saeculo, quamvis se divina inspiratione sentiat attrahentem ad statum religiosum, non habebit illa efficaciora gratiae auxilia, quae ipsi Deus in hoc statu praeparavit; et ideo iis destitutus difficulter tentationibus resistet, et grave periculum damnationis incurret. Nihil tam pertimescendum homini, quam ne Deus ita providentiae suae curam et auxilia gratiae imminuat; nec quidquam est adeo sollicitae ab eo petendum quam ut eam auxiliorum mensuram nobis conferat qua novit

nos certius salvandos; hoc est, ut in omnibus nos protegat, excitet, dirigat, sicut novit salutis nostrae expedire<sup>4</sup>.

455. — II° *Quinam jure impediuntur ab ingressu religionis?*

Jure impediuntur ab ingressu religionis: conjugati, aere alieno gravati, ratiociniis reddendis obnoxii, criminosi, liberi quorum parentes in extrema vel gravi necessitate versantur, parentes quorum opera liberi indigent ad suam educationem, Episcopi.

I. *Conjugati* impediuntur vinculo quo alter alteri alligatur. Lex tamen conjugii non semper obstat admissioni in religione: vel enim matrimonium est solummodo ratum, ut aiunt, vel usu consummatum.

Si 1<sup>um</sup>, liberum est alterutri, relicta comparte, ingredi religionem solemnem, et, facta professione, dissolvitur matrimonium, adeo ut liceat parti remanenti in saeculo ad alia vota transire. Bimestre conceditur sponsis ad deliberandum de sua vocatione, quo tempore possunt abstinere ab usu matrimonii; nec consequenter tenetur pars deliberans de ingressu religionis, reddere debitum. At duo sunt bene notanda: 1° haec de religione solemniter intelliguntur, non de congregationibus ubi emittuntur vota simplicia; 2° matrimonium ratum non dissolvitur per ingressum in conventum, nec per novitatum, sed per professionem religiosam.

Si 2<sup>um</sup>, conjux potest, non obstante matrimonio consummato, admitti ad vitam religiosam, sive fiant vota solemniter sive non, in duplici casu: nempe, quando compars consentit, et ipsa religionem alicubi proficitur, vel promittit servare castitatem in saeculo, modo tamen sit, ob aetatem protractam virtutisque experimentum, ab omni suspitione aliena: alter est casus, si compars jus suum amiserit criminibus ob quae licitum admittitur divortium in favorem conjugis innocentis.

<sup>4</sup> Lessius, loc. cit., n° 98, 99; — S. Liguori, lib. IV, n° 78.

Hæc exponuntur in tract. theologico *de Matrimonio*, et canonistæ disserunt de regulis ea de re servandis in suis commentariis tituli DE CONVERSIONE CONJUGATORUM, xxxii. lib. III Decret.

Etsi jure communi valeant decisiones allatæ, tum quoad dissolutionem matrimonii rati per professionem religiosam, tum quoad facultatem ingrediendi religionem post matrimonium consummatum, in casu divortii; magnopere tamen cavendum in praxi ne id fiat cum periculo probabili scandali, vel perturbationis domus religiosæ. Quoties pars altera non consentit, et nulla aliunde interfuit sententia judicis sæcularis pronuntiantis separationem conjugum, timendum est istius modi periculum, nisi forte conjux deliberans de suo ingressu in religionem se subtrahat actioni civili, in terras externas transeundo, quod non est regulariter consulendum.

456. — II. *Ære alieno gravati*, vel ratiociniis reddendis obligati. Qui gravantur ære alieno, et possunt debita solvere remanendo in sæculo per breve tempus, puta per biennium vel triennium, admitti non debent donec suis debitis satisfecerint. Obstat jus naturale quemque obligans ad præstandum creditoribus quod ipsis debetur; nec enim prætermittenda sunt officia legis naturalis, ut serventur consilia evangelica. Obstat insuper jus canonicum, quo interdictum fuit superioribus conventuum hos debitores admittere. Quod si vero nec actu habeant, nec in futurum acquisituri sint unde sua debita possint solvere, liberi remanent jure naturali, eximente impossibilitate; liberos etiam reputamus a parte juris canonici, quia nihil tunc creditorum refert, nec ulla est ratio eos detinendi in sæculo, si tamen nihil timeatur ex parte eorundem creditorum; quapropter præsumere fas est SS. Pontifices ad hunc casum suas constitutiones non voluisse extendere.

Plures idem dicendum autumant de casu quo debitor non possit creditoribus satisfacere nisi per longum tempus, ultra triennium; quia juxta illos, diuturna dilatio, cum privatione

gratiarum quæ inde resultat, merito æquiparatur impotentiae morali, eximenti ab onere restitutionis. His doctoribus non assentimur, ob rationem superius allatam, non omittendam scilicet præceptorum naturalium observantiam, ut fiat actus devotionis in obsequendo consiliis evangelicis. Quamdiu debitor spem habet satisfaciendi, etiam per longum tempus, adstringitur obligatione naturali. Præterea, nedum Ecclesia faveat debitori in tali casu, eum potius a conventu removet, interdicendo ne admittatur. (C. f. S. Alph. de Liguori, lib. IV, n° 71.)

Ratiociniis reddendis obligati non admittuntur, donec ratiocinia sua reddiderint; quia non possent, inchoato novitiatu, rerum temporalium sollicitudinibus implicari absque gravi suo detrimento. Motivum non ita urget quando agitur de dispensatione rei levioris momenti, v. g., de administratione tutelæ quæ nullis ambagibus locum dare debet; si quæ ratio suadeat ingredi religionem absque mora, id superioris arbitrio dimittetur.

457. — III. *Adstricti obligatione sublevandi egestatem parentum*. Canonistæ tenent communiter licitum non fore filio suos parentes in extrema, vel etiam gravi necessitate, dimittere, ut monasterium ingrediatur. « Dicendum est, ait S. Thomas, « quod parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis « commode aliter quam per filiorum obsequium subveniri non « possit, non licet filiis, prætermisso parentum obsequio, religionem intrare. » 2, 2, quæst. clxxxix, art. 6. Id vetat præceptum naturale *Honora patrem tuum*, etc., nisi tamen graviter urgeat necessitas salutis filii, quod vix supponendum in praxi.

Quinimo, iidem doctores tradunt filium teneri egredi e monasterio, facta etiam professione, si parentes prolabantur in extrema necessitate, ac desit aliud medium illis subveniendi. *Hoc certum est*, ait S. Liguori. Si vero de gravi necessitate agatur, alii alia opinantur. Plures censent filium teneri egredi e monasterio. Ita præ cæteris Lessius, Suarez et Silvius, præ-

sertim quando necessitas præcessit ingressum religionis : 1<sup>o</sup> quia obligatio naturalis quæ urget ante professionem, non extinguitur emissionem votorum ; 2<sup>o</sup> quia filii non tenentur solum in casu extremæ necessitatis, sed et gravis ; alioquin non magis erga parentes quam erga extraneos urgeret præceptum charitatis.

Alii contrarium opinantur, sive necessitas parentum præcesserit, sive supervenerit. Ita S. Liguori, qui cæteroquin priorem opinionem valde probabilem existimat. Innituntur 1<sup>o</sup> auctoritate S. Thomæ qui dicit : « Ille qui jam est in religione « professus, reputatur jam quasi mortuus mundo ; inde non « debet, occasione sustentationis parentum, exire claustrum in « quo Christo consepelitur, et se iterum sæcularibus negotiis « implicare. Tenetur tamen, salva sui prælati obedientia, et « suæ religionis statu, pium studium adhibere qualiter ejus « parentibus subveniatur. » 2, 2, quæst. c1, art. 4. — Nituntur 2<sup>o</sup> comparatione adducta cum filio conjugato, qui non tenetur uxorem dimittere, ut parentes adeat, quia magis adhæret uxori quam suis parentibus. (Lib. IV, n<sup>is</sup> 66-70.) Ratio præcipua est periculum cui frequenter exponitur religiosus rediens e conventu inter sæcularia negotia.

In hac opinionum contrarietate, religiosus qui vult sic parentibus obsequi ut sibi consulat, suum suorumque parentum statum ingenue exponat, superiorisque sententiam sequatur : ipsi opus erit dispensatione S. Pontificis, si debeat dimittere habitum religiosum, vel commorari ad longum tempus extra monasterium<sup>1</sup>.

Quæ de filiis respectu parentum diximus, hæc vicissim de parentibus intelligas respectu filiorum, quorum educationi operas dare tenentur jure naturali, usquedum sint ea ætate qua sibi consulere possint.

<sup>1</sup> Cf. Collet, *Traité des dispenses*, liv. IV, n<sup>o</sup> 99. *Lettre sur la profession religieuse d'un homme dont les parents sont dans le besoin.*

Fratres et sorores, ait S. Liguori, non licet deserere in necessitate extrema, sed licet in gravi, quamvis posset quis ratione charitatis differre, et etiam omittere statum religionis, ad subveniendum fratribus graviter indigentibus (loc. cit., n<sup>o</sup> 70). Gravior certe ratio urget, si in discrimen veniat salus spiritualis fratrum et sororum.

458. — IV. Episcopi consecrati, vel etiam confirmati, non possunt suam sedem deserere, ut profiteantur vitam religiosam, sine prævio consensu S. Pontificis, ut probatum fuit alibi (n<sup>o</sup> 194). Regula data extenditur ad Episcopos titulares, quia et ipsi alligati sunt certæ Ecclesiæ, etsi per accidens, ob infidelium occupationem, vel ob tyrannorum persecutionem, non possint actu præesse suo episcopatu. (Schmalzgrueber, n<sup>o</sup> 52, DE REGULARIBUS.)

459. — III<sup>o</sup> *Utrum beneficiati, et cæteri clerici possint religionem ingredi, non obtenta prius sui respective prælati licentia?*

I. Presbyter regimen Ecclesiæ aliudve ministerium dimisurus debet, ante omnia, consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum eorum natura fert, aperire Episcopo. De hoc *nemo dubitat*, ait Benedictus XIV, qui addit : « In hoc non tam « officio et honestati quam legis naturalis præcepto satisfaciet. « Cum enim presbyteri in animarum cura, aliisque gravibus « muneribus ad pastorale regimen spectantibus, Episcopi ministri sint ; ita cum eo se gerere debent, ut is animarum quas « ipsi regebant, et negotiorum quæ administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. » (Brev. Apost. *Ex quo*, n<sup>o</sup> xxv, an. 1747, ad Card. Quirinum.)

II. Episcopus non debet, nec potest, regulariter loquendo, suum assensum denegare clerico postulanti liberum ingressum religionis. Prob. 1<sup>o</sup> Ex cap. *Dux sunt*, 2, caus. xix, quæst. ii, in quo Urbanus Papa statuit : « Si quis in Ecclesia sua, sub « Episcopo, populum retinet, et sæculariter vivit, si afflatus « Spiritu sancto, in aliquo monasterio, vel regulari canonica,

« salvare se voluerit... etiam suo Episcopo contradicente, eat  
 « liber nostra auctoritate. » 2º Auctoritate DD., qui communi-  
 ter docent certam esse libertatem clericis religionem ingre-  
 diendi, nec de eo movent controversiam; unde Benedictus XIV  
 in suo Brevi dicit: « Si denegetur permissio, hujusmodi dis-  
 « sensus, ex auctoritatibus supra citatis, presbyterum non  
 « adstringet, quominus religionem ingredi valeat. » 3º Ratio  
 est quod clericis jus canonicum asserere voluit libertatem sec-  
 tandi vitam perfectiorem. Ipsimet religiosi, ut infra exponetur,  
 possunt transire ad religionem strictiorem, tametsi obedientiam  
 superiori et stabilitatem voto sponderint in ordine laxiori:  
 pari jure datur clericis eadem facultas, non obstante promissio-  
 ne obedientiæ, quam, ad normam canonum, suo Episcopo  
 præstiterunt.

Dixi *regulariter loquendo*; quia duo sunt casus excipiendi:  
 nimirum, si Ecclesia detrimentum grave patitur ex dimissione  
 presbyteri, et si clericus gratuito fuerit educatus sub conditione  
 quod, saltem per tempus determinatum, in diœcesi commoraturus  
 sit sub regimine Episcopi.

Circa priorem casum, hæc animadvertimus: 1º Juxta Bene-  
 dictum XIV, « certis in casibus, justisque exigentibus causis,  
 « Episcopo competit, ut suum clericum sæcularem ordini re-  
 « gulari adscriptum repetere possit. Hoc, inquit, tradit claris-  
 « simus canonum doctor Innocentius IV in cap. *Licet*, cujus  
 « hæc sunt verba: *Clericus potest transire ad religionem,*  
 « *non petita licentia, etiamsi contradicatur; crederemus*  
 « *tamen quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima*  
 « *Ecclesia gravem sustineret jacturam.* Satis igitur provisum  
 « est Episcopo qui factum clerici sui, ad regularia castra, se  
 « invito, digressi, impugnare velit. » Si autem Episcopus jure  
 valeat repetere suum clericum, etiam postquam regulari ordini  
 fuerit adscriptus, exinde sequitur quod, iisdem in casibus,  
 possit impedire quominus suam Ecclesiam deserat. 2º Contingere  
 haud raro potest Ecclesiam gravem jacturam pati ex desertione

clerici, in nonnullis regionibus, ubi pauci admodum sunt sa-  
 cerdotes, paucissimi vero quibus difficiliore administrationes  
 committi tuto possint.

Vidimus supra gravem necessitatem temporalem parentum  
 esse motivum differendi vel etiam omittendi ingressum reli-  
 gionis; quidni gravis necessitas diœcesis non habentis pres-  
 byteros numero sufficientes ad regimen parochiarum, vel non-  
 nisi unum aut alterum quem Episcopus promovere valeat ad  
 officium vicariatus generalis, alteriusve ministerii magni mo-  
 menti, non reputaretur motivum valde fundatum differendi  
 ingressum religionis? Episcopus cui commissa fuit cura provi-  
 dendis necessitatibus suæ diœcesis, judex est opportunitatis et  
 necessitatis de qua agimus. Profecto, clericum qui serio affir-  
 mat se, pro sua fragilitate, in discrimen salutis venire remanendo  
 in sæculo, invitum et in periculo ancipitem non detinebit. Si  
 rationem hujusmodi affirmare non valeat clericus, nec Epis-  
 copus suspicetur, sed solummodo agatur de communi desiderio  
 vitæ religiosæ, jure poterit Episcopus ipsi interdicare ne locum  
 suum officiumque deserat, relicta aliunde clerico facultate  
 adeundi summum Pontificem, quod omnibus licet, quando  
 injuste gravatos se reputant. Causa deferetur ad Congrega-  
 tionem Episcoporum et Regularium, interea que expectabit  
 clericus, debitam reverentiam exhibendo suo Episcopo.

Quod ad secundum casum attinet, quando scilicet clericus  
 promisit, ante ordinationem, se obsequium exhibiturum fore  
 suo Episcopo, per totum vitæ decursum, aut per certum tempus  
 determinatum, et sub hac conditione promotus fuit, tenetur  
 stare promissis. Id autem exigere potest Episcopus, etiamsi non  
 intercesserit explicita promissio, ab iis generatim qui sumpti-  
 bus diœcesis aliti sunt, quoniam æquum est et maxime rationi  
 consentaneum, ut ei operam suam præsentent, cujus beneficio  
 ad dignitatem officii clericalis conscenderunt. Hac de causa,  
 sanctus Carolus Borromæus in regulis seminarii sic præscriben-  
 dum duxerat: « Si quis decursu temporis de statu mutando

« consilium caperet, etiamsi de religione ingredienda cogitaret,  
 « de eo R. Archiepiscopum vel rectorem certiore faciat; pec-  
 « caret enim si in seminario hoc animo viveret, in alium finem  
 « consumens quod ad operarios solum pro hujus Ecclesiæ auxi-  
 « lio sustendandos est constitutum<sup>1</sup>. » Pius item IX hæc præ-  
 « scribenda voluit omnibus alumnis seminarii Romæ erecti, litte-  
 « ris apostolicis *Cum Romani Pontifices*, an. 1853: « Alumnus...  
 « eo die (quo propriam vestem seminarii assumit) postquam  
 « sacris adstiterit et Eucharistiæ sacramento se refecerit, jusju-  
 « randum dare debet supra Sancta Evangelia, velle se, absolutis  
 « in seminario studiis, in propriæ diocesis et Episcopi servi-  
 « tium remigrare; quod quidem actum in tabulas referatur,  
 « a rectore, a candidato, ac duobus testibus subscribendum.  
 « Solus legitimus apostolatus missionum exterarum, donec ad  
 « illas incumbat, ab hoc vinculo eum solvere potest<sup>2</sup>. »

Hæc cum ita sint, cum clerici de quibus agitur strictiori vin-  
 culo, titulo nempe justitiæ, ob tacitam saltem conventionem,  
 et titulo religionis, si intercesserit juramentum, devinciantur  
 suæ diocesi, prudenti arbitrio Episcopi dimitti oportet ut facul-  
 tatem ingrediendi religionem concedat, aut dare abnuat, prout,  
 rebus cunctis attentis, in Domino judicaverit.

460. *Nota.* — 1° Jus assertum clericis, præter casus memo-  
 ratos, religionem ingrediendi, etiam contradicente Episcopo,  
 refertur ad religionem solemnem, non vero ad congregationes  
 in quibus fiunt vota simplicia. Etenim canones allegati et auc-  
 toritates citatæ statuunt solummodo de ingressu monasterii seu  
 religionis solemnem, in quocumque ordine habeatur; ratio autem  
 sectandi viam perfectiorem, nisi intercesserit dispositio juris

<sup>1</sup> *Institutiones seminarii*, part. III, cap. 1.

<sup>2</sup> Hujusmodi juramentum a duobus sæculis exigitur ab alumnis collegii  
*de Propaganda*; et Alexander VII Brevi *Cum circa juramenti*, an. 1660  
 prohibuit ne « quovis tempore quilibet alumnus possit ad religionem ad-  
 « mitti, nisi de expressa R. Pontificis licentia... sub pœna nullitatis profes-  
 « sionis ipso jure, si aliter fuerint ingressi. »

positivi, sola nobis sufficere non videtur, ut clericus se liberum  
 reputet deserere ministerium cui addicitur. In causa hujusmodi,  
 quæ derogatoria est juribus Episcoporum, et potest quandoque  
 gravia consecraria inducere in detrimentum disciplinæ diocæ-  
 sanæ, et concordiæ fovendæ inter Episcopos et clerum  
 regularem, canones interpretari oportet sensu obvio ac stric-  
 tiori.

Hæc est ratio quæ nos potissimum movet. Quamdiu aliter  
 non declaraverit Sancta Sedes, cujus est sensum canonum  
 summa auctoritate aperire, existimamus fas non esse clericis,  
 excepto casu rarissimo quo urgeret periculum grave salutis,  
 suam diocesim deserere, contradicente Episcopo, ut vitam degant  
 in congregatione religiosa, etiam approbata, ubi non emittuntur  
 vota solemnia.

461. — 2° Clerici, non secus ac laici, qualemcumque ordi-  
 nem seu congregationem adierint, debent habere litteras  
 testimoniales sui Episcopi, antequam admittantur. Ita fuit  
 præscriptum a SS. DD. Nostro Pio IX, decreto 25 jan. 1848,  
 quod sic habet: « 1° In quocumque ordine, congregatione,  
 « societate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur  
 « vota solemnia, sive simplicia, nemo admittatur ad habitum  
 « absque testimonialibus litteris, tum Ordinarii originis, tum  
 « etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum deci-  
 « mum quintum suæ ætatis annum, ultra annum moratus  
 « fuerit. 2° Ordinarii in præfatis litteris testimonialibus, post-  
 « quam diligenter exquisiverint, etiam per secretas informatio-  
 « nes, de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus  
 « natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione,  
 « scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut  
 « alio impedimento canonico irretitus, ære alieno gravatus,  
 « reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius. » Eo-  
 dem decreto declaratur Episcopis liberum non esse denegare has  
 litteras testimoniales; et graves pœnæ decernuntur in supe-  
 riores ordinum et congregationum, qui aliquem ad habitum

admittere præsumerent, non obtentis iisdem litteris testimonialibus.

§ 2. De novitiatu.

462. — I<sup>o</sup> Quid jure canonico præscriptum sit de novitiatu?

Concilium Tridentinum multa statuit de probatione prævia ad professionem vitæ religiosæ, hæc imprimis: 1<sup>o</sup> ut nemo ad professionem admittatur, qui non fuerit in probatione per annum integrum post susceptum habitum; 2<sup>o</sup> ut plena libertas detur novitiis deserendi propositum, si voluerint, et ideo nec teneantur donationibus vel renuntiationibus quas antea fecissent in favorem cujusvis causæ piæ, intuitu futuræ suæ professionis, si professio non sequatur; 3<sup>o</sup> ut finito tempore novitiatus, superiores admittant quos ex novitiis idoneos invenerint, cæteros e monasterio ejiciant. (Cap. xv, xvi, sess. xxv, DE REGULARIBUS.) Multa SS. Pontifices addiderunt ut disciplina Tridentina certius servetur, de quibus nunc per singula dicendum.

I. Prælati ordinis, seu congregationis, est admittere postulantes ad novitiatum, servatis regulis sui instituti. Approbatio data ab auctoritate competenti includit facultatem recipiendi novitios, cum ordo nequeat propagari nec subsistere aliter quam novitiorum admissione.

Nullibi jure statutum reperimus hanc facultatem, quæ naturaliter inest Prælati conventuum, restringi vel coarctari necessitate rem deferendi ad Episcopum, pro congregationibus virorum; aliter vero ordinatum fuit quoad congregationes monialium. Concilium Tridentinum, libertati virginum Deo dicandarum prospiciens, statuit atque decrevit ut puella quæ habitum religionis suscipere voluerit, « non ante eum suscipiat, nec postea « promissionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel, eo « absente vel impedito, ejus vicarius, virginis voluntatem dili-

« genter; an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. » Sess. xxv, cap. xvii, DE REGULARIBUS. Hæc, cum sint absolute præscripta, in omnibus monasteriis servari debent, ne exceptis quidem domibus quæ regularibus subjiciuntur, ut sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, cujus decisiones referuntur apud auctores<sup>1</sup>. Potest igitur Episcopus præcipere monialibus, quamlibet exemptionem prætendant, et illorum superioribus, ne puellam ad habitum admittant, nisi sit ipse prius certioratus.

Quandonam, quonamve modo, Episcopus examen puellæ inire debeat, mox dicemus, ubi de professione agendum nobis erit; quod ad rem præsentem attinet, concludamus duas auctoritates simul convenire debere in admissione puellarum ad habitum religionis, Episcopum et superiorissam. Episcopus superiorissam cogere nequit ut recipiat novitiam: hæc enim admissio fieri debet cum plena libertate a communitate, collatis omnium suffragiis, ad regularum præscriptum; nec vicissim superiorissa ullam admittere potest novitiam absque prævio judicio Episcopi.

Superior nullum ad novitiatum recipit, de cujus conditione, natalitiis, moribus, non fuerit sufficienter informatus; insuper habeat necesse est litteras testimoniales Episcopi originis et domicilii, sensu supra exposito; quod ultimum tamen non requiritur pro conventibus monialium. Ratio harum informationum est discernere an postulantes aliquo impedimento teneantur; an scilicet graventur ære alieno, an obnoxii ratiociniis reddendis, an inquisiti in foro externo; an tandem vitam religiosam elegerint non mundano motivo, impulsu parentum, aliave hujus generis causa, sed sua sponte ad Deo serviendum. Non opus est juridica inquisitione ut hæc veniant in notitiam superioris, sed simplici informatione quæ præbeat saltem rationabilem præsumptionem, arbitrio viri prudentis; quod enim præviis inquisitionibus defuerit, suppleant probationes novitiatus.

<sup>1</sup> Ferraris, v<sup>o</sup> *Moniales*, art. 1, n<sup>o</sup> 66.